

THE PIERPONT MORGAN LIBRARY
NEW YORK

VERITAS BONÆ VITÆ, EX OCCASIONE

Occupatæ Hæreditatis Jaroslauienſis, Patribus Societatis Demonſtrata

per

Joannem Marchievvicz, J. V. D. Cracouienſem, Varmienſem Canonicum, Præpoſitum Tarnouienſem.

PARISIIS,
ANNO M. DC. LXXI.

SACRÆ REGIÆ MAIESTATI,

Dno, Dno & Patrono meo Clementissimo,

Felicitatem!

NIsi scirem, Excellentissimos & Celsissimos titulos Ducales, Ostrogij, & Jaroslauiæ, tanquam hæreditarios, nuper ad M.V. pertinuisse, non auderem nunc Clementissimum Patronum, & Benefactorem meum, iam ad maiora per Dei gratiam euectum, interpellare, eiusq; Protectioni hanc Veritatem Bonæ Vitæ dedicare. Movit me legitimis Hæredibus, (quibus M.V. bene vult) illata iniuria, & inde subsecuta Reipubl. querela, quod Seruitium Bellicum Bono Publico depereat per alienationem Bonorum terrestrium, & vel maximè Ducalium, quorum Excellentissimi Possessores, Reipub. & Ecclesiæ semper fuerunt Antemurale, fortissima sua pectora hostibus opponentes: inter quos, nostrâ memoriâ, Celsissimus Princeps M.V. parens, semper fuit primarius Dux, & Antesignanus. Nunc sui Commilitones, eorumque Hæredes, in maiori parte Possessionum suarum iacturam passi, non tam molestè ferunt, quòd (Deo permittente) hostiles impetus abstulerunt, quàm quod Patres Soc. per simplicitatem fæminei sexus, occupauerunt. Jam semel Romæ hæc inconuenientia proponere, &

re, & à S. Sede remedium postulare fui paratus; ab Excellentissimis Principibus Lubomirscijs, & Principe Zamoscio, illuc ad hunc effectum ablegatus: sed clandestinè, & artificiosè, falsis criminibus insimulatus, sine vllo processu ad carcerem Romanum detrusus, in eoq; per Sex Menses detentus, negotium Reipub. & Ecclesiæ nostræ salutare, non potui perficere. Ne iterum, ex falsa informatione, similia, aut maiora grauamina, propter Veritatem Bonæ Vitæ, mihi contingant; ad Protectionem M. V. Patroni & Benefactoris mei Clementissimi, supplex confugio. Non id voti mihi est, vt sub vmbra Patrocinij M. V. securus existens, si quis Veritate Bonæ Vitæ se læsum prætendat, ideo Judicium subterfugiam: Non recuso Tribunal, de Jure mihi competens, dummodo seruetur Juris ordo, ab ipso Concilio Tridentino, & sacris Canonibus præscriptus; vt primò coram Illmo D. meo Loci Ordinario, vbi nunc resideo, causa agi[illegible]etur, & sic bene instructa, per Appellationem, ad quem de[illegible] Jure, deuoluatur. Faueat M. V. Bonum publicum promouenti, cuius interest, Verainam saluam esse, ne præsidiariis destituta, & ab hostibus totaliter occupata, viciniora ab iis imminentia pericula, V. M. Reip. & Ecclesiæ, magis onerosa, & difficiliora reddantur. Hoc vouet, & optat

Maiestatis Vestræ

Humillimus Cliens, & indignus apud Deum Exorator,

Joannes Marchievvicz, J. V. D. Cracouiensis & Varmiensis Canonicus, Præpositus Tarnouiensis.

Status Causæ; & Motiuum scribendi.



N Anno 1653. post mortem Ducissæ Ostrogiensis, & Jaroslauiensis, Palatinæ Vilnensis, orta fuit controuersia de Bonis post ejus decessum derelictis. Principes Lubomirscij, cum Principe Zamoscio, æquali iure hæreditatis, per Naturam sibi debitæ, tanquam proximi Nepotes defunctæ, Bona illa, vigore donationis per Jesuitas occupata, se velle Vindicare, protestati sunt. 1.
Econtra Aula Varsauiensis Jesuitas in tutelam suscepit, eisq; assistentiam potenti brachio promisit. 2.
Parum aberat, quin feruentior illa de Bonis terrestribus contentio, in Bellum Ciuile non erupisset: Palatino Chiouiensi Zamoscio, & Pocillatore Regni Lubomirscio, ad vindicanda sua Bona hæreditaria, strenuè se præparantibus; nisi seniores fratres Principes Lubomirscij: modernus Palatinus Cracouiensis; & pie defunctus Marsalcus Regni, & Dux Campestris, impetum iuuenilem suâ prudentiâ moderati essent.
Ego pro tunc Varmiæ residens, de tam periculosa controuersia certior factus, non liuore aliquo inductus, sed amore Patriæ, & zelo Christiano permotus, ita litem diremi: Edidi Libellum, cui titulum dedi, Scandalum Expurgatum, in quo demonstraui, Jesuitas vigore sui Instituti, Bona stabilia possidere non posse. 3.
Et sic persuasi Patronis, & Benefactoribus meis, vt postpositis cum Aula periculosis contentionibus, causam occupatæ suæ hæreditatis, summo Pontifici decidendam committe-

mitterent. Placuit consilium; & conclusus Romam meus discessus, vt actionem Jesuitis intentarem. Sine mora, in Anno 1655. primis diebus Martij, Romam perueni, sede Vacante.

4. Antequam Summus Pontifex Alexander Papa vij. creatus esset, ex Instituto, & Constitutionibus S. Ignatij, argumenta conquiro, ad Victoriam Causæ seruientia, videlicet, quæ possessionem Bonorum stabilium Jesuitis vetabant. Contrarias declarationes minus curabam; quia ex Constitutione S. Ignatij didiceram, has non à fundatore conscriptas, sed ab hoste Naturæ humanæ, in fraudem primi Instituti, eiusq; Constitutionum, dictatas fuisse. His deductis, quis non sperasset Victoriam?

5. Nihil amplius ad Victoriam desiderans Canonicus, apud summum Pontificem audientiam procurabat, quæ humanis artibus præpedita, obtineri non potuit: Quia indies sperabatur venturus ex Polonia Legatus, qui Canonicum, de occupata hæreditate Jaroslauiensi actionem mouere Patribus Soc. præpediret, priùs de objiciendis sibi per Legatum criminibus, respondere obligatum, & coactum.

6. Superuenit tandem Legatus, Decanus Ecclesiæ Collegiatæ Varsauiensis, Jesuitis consanguinitate fratris sui germani Romæ coniunctus. Hic secretò, sine scitu Canonici, summo Pontifici Legationem suam exposuit, & Canonicum Markievviez accusauit reum Seditionis, Rebellionis, Criminis læsæ Maiestatis, Concitationis Populi contra Dominium, Conspirationis cum hæreticis contra Ecclesiam, contra Rempubl: contra Personam Regiæ Maiestatis; quod authenticis scripturis probaturum se promisit.

ſit, rogando, vt Canonicus, tanquam notoriè criminoſus, in carcerem detruderetur.

Reſpondit Summus Pontifex Alexander vij. de facto, 7.
id fieri non poſſe, ſed quandoquidem Canonicus inueniatur Romæ præſens, per viam Juris cum eo procedendum eſſe. Vrget Legatus, & allegat authoritatem ſui Principalis, cuius reſpectu Canonicum poſtulat incarcerari. Stetit conſtans Summus Pontifex, & finale reſponſum dedit, Cauſas in Curia Romana, non per reſpectum Perſonarum, ſed per ordinariam Viam Juſtitiæ iudicari, & expediri debere. Quo reſponſo non contentus Legatus, infectis re- 8.
bus abiuit. Quæ omnia ſecretiſſimè, ſine ſcitu Canonici, in priuata Audientia, coram ſummo Pontifice agebantur, primis diebus Auguſti, anno 1655.

In tali negotiorum tractatu non deerant Amici, & 9.
Patroni, qui ſine aliqua ſpecificatione, generaliter denunciarent Canonico, Summum Pontificem à partibus ſuis ſtare, & Legati inſtantias non admittere. Huius rei ita peractæ, teſtis eſt omni exceptione maior R^mus P. Raymundus Capizuccus, pro tunc Magiſter Sacri Palatij; qui ſemper Canonico coram ſummo Pontifice patrocinabatur. Teſtes ſunt Eminen^mi Poloniæ Protectores, quibus Legatus tractatum ſuum cum Summo Pontifice exponere non prætermiſit.

Non diuturna hæc felicitas Protectionis Pontificiæ 10.
Canonico fuit: paulo poſt venit rumor, Suecos Poloniam inuaſiſſe, primo maiorem Poloniam, & Pruſſiam, deinde Varſauiam, & ipſam Cracouiam occupaſſe. Primores Regni, tam ſpirituales quam ſeculares, in Vngariam, & Vicinam Sileſiam, propter ſecuritatem ſe recepiſſe: Du-

ces Polonos & ipſum Exercitum in poteſtatem hoſtium ſe
tradidiſſe. Tam triſti nuncio conſternatus Pontifex, graui
dolore opprimebatur, Antemurale Chriſtianitatis in po-
teſtatem hoſtium deueniſſe. Ad quem conſolandum,
dum venirent homines, facilem vbiq; acceſſum habentes,
inter alios diſcurſus hæc de Canonico retulerunt; quòd
Sueci occupatâ Poloniâ, Imperium inuadere; poſtmo-
dum Italiam, & ipſam Romam ſuæ Poteſtatis facere moli-
1. antur. Ad quem finem conſequendum, Canonicus
tanquam Explorator illorum Romam venerit, vt ſub præte-
xtu litis de hæreditate Jaroslauienſi, Suecis correſponde-
ret, illosq; in occurrentibus negotiis informaret. Si ca-
piatur; ſi ſcripta eius reuideantur; ſi literæ hinc inde
ad eum, & ab eo venientes, intercipiantur; omnia con-
ſilia Suecorum ex illis ita apparitura, vt ab alijs indicijs
melior informatio deſiderari non poſſit. Audita tali de
Canonico Summus Pontifex relatione, in capturam ejus
conſenſit, ſcripta omnia reuideri, & literas intercipi man-
dauit, iuxta ſuggeſtam informationem.

12. Poſtquam Canonicus per integros ſex menſes in ſtri-
ctiſſimo & ſecretiſſimo carcere detentus, panem doloris co-
mediſſet; aquam anguſtiæ bibiſſet; & funem illum, Ita-
lis chorda dictum, ſæpius in camera ſibi exhibitum, & ſu-
ſpenſum habuiſſet; non permiſit Deus innocentem diu-
13. tiùs tormentari. Tulit opem Excellentiſſimus Patronus
p. m. Georgius Princeps Lubomirſcius, Regni Poloniæ
ſupremus Marſalcus, Exercituum Dux Campeſtris, Craco-
uiæ Gubernator, & Capitaneus Generalis. Qui ſubleua-
tâ ab hoſtibus Patriâ; reuocato ex Sileſia Rege, cum Pro-
ceribus; & exercitu ad obedientiam militarem reducto,
primam

primam curam habuit de eliberando Romæ captiuo Canonico; proinde scrupulo facto his, ad quorum instantiam per Legatum carceratus fuerat, facilè persuasit, vt literæ prioris instantiæ reuocatiuæ Romam scriberentur. Addidit & ille suum Innocentiæ testimonium in comitiua Literarum Ill^mi S. Nuncij Apostolici, qui nunc est Eminen^mus Cardinalis Vidonus: quarum iustificatione Canonicus ex carcere Violento liber euasit.

Ex his informationibus cognouerat Roma fraudem 14.
Capturæ; & tamen adhuc interdictum dedit, ne Canonicus ab Vrbe discederet, sine licentia summi Pontificis. Hanc moram metus Jesuitarum causabat, ne Canonicus dimitteretur irreconciliatus. Cui res angusta domi, & occupatâ ab hostibus patriâ, cum nulla spes subsidij pecuniarij superesset, vrgebat defectus celeriorem discessum: qui cum esset aduersariis cognitus, quod per carcerem extorquere non poterant, per moram, Canonico præiudiciosam, præstare volebant.

Debuit Canonicus dissimulare, & vim sibi inferri, 15.
clypeo patientiæ obumbrare. Petijt & impetrauit finaliter, vt Summus Pontifex ad hanc concordiam Emin^mum Cardinalem Raggium Mediatorem deputaret, coram quo Jesuitæ per P. Assistentem Germaniæ, suas offensiones in scriptis exposuerunt, quod Canonicus contra Institutum S. Ignatij, contra Constitutiones, earumq; declarationes, multa scripsisset, ac proinde satisfactionem sibi ab eo dari, Eminen^mo Mediatori supplicabant.

Quibus punctis ad respondendum acceptis, de manu 16.
Eminen^mi Mediatoris, respondit Canonicus, se Institutum primum S. Ignatij, quod in Bulla Pauli tertij, incipi-

 ente

ente, Regimini,de Anno 1540. quinto Calend. Septemb. edita inuenitur, ſemper pro ſacroſancto, laudabili, & glorioſo habuiſſe: Aliud verò quod in Bulla Julij tertij, in-
17. cipiente, Expoſcit, de Anno 1550. edita continetur, tanquam obreptitium, & ſubreptitium, faſſus eſt ſe impugnaſſe, quia illi primo laudabili & glorioſo per omnia contrarium: & declarationibus innixum, quas vt Societas caueret, S. Ignatius per Conſtitutionem ſuam admonuit, *aſſerens illas ab hoſte Naturæ humanæ proficiſci*: quo non obſtante, Patres Soc. poſtpoſito illo primo laudabili & glorioſo Inſtituto, hoc ſecundum ſequuntur, ejusque declarationes, tanquam à S. Ignatio adſcriptas, falsò exiſtimant, easq; amplectuntur, & adorant. Et hæc omnia authenticis documentis probata ſunt.

18. Quæ ad trutinam porrecta Eminen^mo^ mediatori, & ad replicandum ſupradicto B. Aſſiſtenti Germaniæ tradita, ab eodem P. Generali Præpoſito Societatis, ejusq; Conſilio, delata ſunt. Expedita itaque deliberatione, idem P. Aſſiſtens Germaniæ, comparuit, & ſcripturam in manus Eminen^mi^ Mediatoris porrexit, quum eum Eminen^mus^ reuidiſſet, agnouit Reſponſum eſſe Canonici, quid Patres ad illud replicarent, interrogauit. Tergiuerſabatur dictus P. Aſſiſtens Germaniæ, tandem ad reſpondendum adſtrictus, hæc formalia Verba dixit: *Nolumus diſputare, ſumus in poſſesſione ita Viuendi.*

19. Ad tale Reſponſum, omnes Prælati domeſtici, & alij Curiales, ad latus Eminen^mi^ Mediatoris aſſiſtentes, obſtupuerunt; Canonico, ne quid amplius loqueretur, indictum eſt ſilentium, propter Bonum pacis. Et ſic Canonicus

eus, cum iam esset Victor, nihilominus coactus est oblatam sibi scripturam subscribere, qua cauebatur, ne quid amplius contra Institutum S. Ignatij & Declarationes eiusdem scriberet, sub pœnis, Sanctissimi Domini Nostri, Alexandri Papæ Septimi, arbitrio reseruatis. Has controuer- 20.
sas scripturas Canonicus pro informarione suorum Patronorum, vt scirent, quomodo negotium Romæ procederet, semper in Poloniam remittebat. Ex qua narratiua, prout erat in rei veritate, Lector beneuolus duo animadvertere potest: Primo, hæc, quæ allegata ratione Instituti, Constitutionum, & declarationum, Patres Soc. offendebant, non per liuorem, sed per necessitatem scripta fuisse, eo fine, vt deducta rei veritate, Canonicus pro suis Patronis, & Benefactoribus, Jaroslauiensem hæreditatem, tanquam iniustè occupatam, vindicaret.

Deinde cum hæ scripturæ informatiuæ, per multo- 21.
rum transiuerint manus, & fortassis à pluribus descriptæ, & ad scholas Varsauienses nouiter erectas applicatæ, nunc nescitur quo authore, typis clandestinis impressæ fuerint. Quod Canonicus non laudauit, & dignum prohibitione iudicauit, *sine præjudicio veritatis*, quæ hoc libello in integrum restituta, authenticas & legitimas pro sua parte allegationes, à suspicione contumeliæ, calumniæ, & iniuriæ, quas Patres Soc. per hæc, & similia scripta, sibi illatas prætendunt, facile vindicabit.

De Possessione ita viuendi apud Societatem.

Triplicem ego viuendi Possessionem inuenio, apud 22.
Socie-

Societatem. Prima eſt illa, quam S. Ignatius ita inſtituit, vt eſſet imitatrix vitæ & operum noſtri Saluatoris; ideo Societatem JESV voluit appellari. Occupationem verò talem illis præſcripſit, prout ſequitur:

23. *Et nominatim Socij commendatam ſibi habeant Inſtitutionem puerorum, ac rudium in doctrina Chriſtiana; Decem præceptorum; atq; aliorum ſimilium rudimentorum. Eſt enim maximè neceſſarium, circa prouidentiam huius rei, diligenter Præpoſitum, & Conſilium inuigilare: cum & in proximis ædificium fidei ſine fundamento non poſſit conſurgere, & in noſtris periculum ſit, ne vt quisq; erit doctior, ita prouinciam hanc, tanquam primo aſpectu minus ſpecioſam forſitan detrectare conetur: cum tamen reuera nulla ſit fructuoſior, vel proximis ad ædificationem, vel noſtris ad charitatis, & humilitatis ſimul officia exercenda.*

24. Circa hos actus Pietatis & Humilitatis exercendos, voluit ſocietatem viuere in ſumma paupertate, quam cum ſuis Socijs ita toti mundo intimauit: *Cum autem experti fuerimus, iucundiorem, puriorem, & ad proximi ædificationem aptiorem eſſe vitam, ab omni Auaritiæ contagione quàm remotisſimam, & Euangelicæ paupertati quàm ſimillimam; cumq; ſciamus, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſeruis ſuis Regnum Dei ſolum inquirentibus, neceſſaria ad victum, & veſtitum eſſe ſubminiſtraturum, voueant ſinguli, &*
25. *vniuerſi perpetuam paupertatem:* Declarantes, *quod non ſolum priuatim, ſed neq; etiam communiter posſint pro ſocietatis ſuſtentatione aut VSU, ad bona aliqua ſtabilia, aut ad Prouentus, ſeu Introitus aliquos Jus aliquod Civile acquirere; ſed ſint contenti vſum tantum rerum ad neceſſaria ſibi comparanda recipere.* Ita loquitur Inſtitutum primum § 10.

Hæc

Hæc fuit Possessio viuendi primitiuæ Societatis JESV, quam Paulus Papa iij. ad instantiam Ignatii, & Sociorum eius, pro perpetuis futuris temporibus, laudauit, approbauit, & benedixit in Bulla Regimini, edita Anno 1540. quinto Calen. Septemb. 26.

Secunda Posessio viuendi.

De hac secunda posessione viuendi Sacchinus, Soc. Jesv Historiographus, de anno 1565. ita loquitur: *Hucusq; Societas procedebat læto successu: Et ita ab Ignatio Lojola suo fundatore, & Jacobo Laynezio, Successore, è vita decedentibus, relicta, vt & magnorum virorum probitate floreret, & celebritate nominis vbiq; per totam Christianitatem commendaretur.* Sacchin. Histor. lib. 1. fol. 1. 27.

In eo statu rerum, tanquam ad lubricum & anceps adolescentiæ ventum erat, periculum vt esset Societati, ne tanta agendarum occupatione rerum, & tractatione literarum, quò longiùs ab ortu, & impetu primo recedebat, interioris cuique sui Hominis cura paulatim laxior fieret, suauisq; erga res diuinas affectio, earumq; gustus, qui solidarum virtutum custos idem ac fructus est, exaresceret. Sacchin. Histor. lib. 1. fol. 1. 28.

Defuncto Laynezio, Prouinciales inter cætera curare iussi, vti prudentes ac periti inter suos annotarent vias & rationes, quas suo cuiq; in ministerio maximè aptas & efficaces, cum diuino lumine monstrasset vsus, siue ad iuuandos morientes, siue ad confitentes regendos; siue ad agendum cum Populo è loco superiore: item ad priuatos congressus, & familiarem 29.

 com-

conſuetudinem cum pietatis profectu inſtituendam; ad literas quoq; in gymnaſiis, doctrinamq; Chriſtianam in templis, atq;
30. *in locis quibusdam tradendum. Simul vt qui Rectores Collegiorum, quiq; miniſtri fuiſſent, conferrent in medium, ſi quid obſeruaſſent ad optimam adminiſtrationem opportunum. Hæc ubi expertis præſtantibusq; viris, è cuncta Societate, collata in unum, & redacta in normam præcepta, fore cæteris Socijs pro Magiſtro & Duce, vt appoſitè, interq; ſe congruenter ea tractarent munia vbiq; terrarum.* Sacchin. lib. 1. fol. 2. n. 5. Hiſtor. Soc.

Conſtitutiones Societati præſcriptæ pro eo tempore.

31. 1. Decretum fuit vt, Edicta Regis Hispaniarum, ſine tergiuerſatione, de non exportandis ex ſuo Regno pecunijs obſeruarentur.

2. Vt forenſibus litibus abſtineretur.

3. In colendis agris, fructibusq; in foro vendendis, mercaturæ abeſſet ſpecies.

4. Si quid in Societatem conſcripti eidem donarent, id cuiusq; Prouinciæ addiceretur.

5. Statuerunt Patres, vt nulla ad ædes Societatis exponeretur Arca, pro colligendis Eleemoſynis, ad quoscunq; vſus.

32. 6. Profeſſor Peruſinus, pro Lectura in publico gymnaſio, etiam per modum Eleemoſynæ nihil accipiat, imo Lecturæ & ſtipendio renunciet.

7. Vetuerunt quoq; Socios Extraneorum cuipiam, ſuade-

suadere, vt Societati potiùs, quam alijs pauperibus, quidquam legaret: nec stipem, nisi planè, ac simpliciter, per Dei Amorem, rogari voluerunt.

8. Quoniam nuper Concilium Tridentinum Religiosis omnibus, præter Cappuzinos, ac minores obseruantes, habere perpetua soloq; contenta Bona permiserat: Quicquid Juris ex illo Concilij beneficio pertinere ad Societatem posset, magno consensu, id omne abdicari, ac penitus eo cedi placuit; vt continuò rite factum est. Sacchin. Histor. Soc. lib. 1. fol. 17. n. 42. 33.

Constitutiones post erectas scholas.

Omnes, qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint se gratis debere dare, quæ gratis acceperunt, nec possidendo, nec admittendo stipendium, vel eleemosynas vllas, quibus Missæ, vel Confessiones, vel prædicationes, vel lectiones, vel visitationes, vel quoduis aliud officium, ex ijs, quæ Societas iuxta nostrum Institutum exercere potest, compensari videatur, vt sic maiori cum libertate possit, & proximorum ædificatione, in diuino seruitio procedere. Constitut. par. 6. c. 2. §. 7. 34.

Cum Societas gratis doceat, videat Rector, ne Magistris vel vllis aliis de Societate, sibi, aut Collegio, pecuniam, aut dona quæuis, ab vllo, pro re quauis in ipsorum vtilitatem facta, accipere permittat. Quandoquidem præmium nostrum, solus Christus Dominus, iuxta nostrum Institutum, futurus est, qui est merces nostra magna nimis. Constitut. par. 4. cap. 15. §. 4. 35.

Nec etiam (quamuis alijs sit licitum) pro Missarum sacri- 36.

ficiis, vel prædicationibus, vel lectionibus, vel vllius Sacramenti administratione, vel quouis alio pio officio, ex ijs, quæ iuxta suum Institutum Societas potest exercere, stipendium vllum, vel Eleemosynam, quæ ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solet, ab alio, quàm à Deo, (ob cuius obsequium omnia purè facere debent) possunt admittere. Exam. Gen. cap. 1. §. 3.

37. *Quamuis ad bona & sancta opera, & maximè perpetuò duratura, incitare laudabile sit; ob maiorem tamen ædificationem, nullus de Societate debet, nec potest, quenquam ad eleemosynas perpetuas, domibus, vel Ecclesiis, eiusdem Societatis relinquendas, incitare. Et si aliqui sponte sua eas relinquerent, nullum Jus Ciuile ad eas petendas in iudicio acquiratur; sed cum ad id charitas propter Deum eos mouerit, tunc eas elargiantur.* Constitut. par. 6. c. 2. § 6.

38. *Eadem de causa, munuscula, quæ magnatibus ad res maiores ab ipsis obtinendas, offerri solent, ne offerantur: nec huiusmodi primarios viros inuisere nostri consuescant, nisi sancto studio piorum operum ducerentur: vel quando intimâ beneuolentiâ in Domino tam essent coniuncti, vt huiusmodi officium aliquoties eis deberi videatur.* Constitut. par. 6. cap. 2. §. 9.

39. *Vt plenius possit Societas rebus spiritualibus, iuxta suum Institutum, vacare quoad ejus fieri poterit, à negotiis sæcularibus abstineat, nec ea vllis precibus adducti, obeunda suscipiant, vel in illis se occupari sinant.* Constitut. par. 6. cap. 3. §. 7.

40. *Quod in vniuersum in sexta parte. c. 3. dicitur, eos qui de Societate sunt, negotiis secularibus, (licet pia alioquin essent) implicari non debere, id Generali magis, quam reliquis omnibus*

bus, conuenit, ne in eis, vel aliis etiam rebus, piis quidem, sed ad societatem non pertinentibus, occupari se sinant. Constit. par 9. cap. 6. §. 4.

Sui victus, potus, vestitus, & lectirationem, si Societatem sequi velit, sibi persuadeat fore, vt pauperibus accommodatam: in quibus habenda semper erit ratio humilitatis, paupertatis, ac spiritualis ædificationis; quod semper nobis in Domino ob oculos versari debet. Ideo quæ vilissima erunt, ex iis, quæ domi sunt, ei tribuatur, propter ipsius maiorem abnegationem, & spiritualem profectum; & vt ad quandam æqualitatem, & veluti mensuram ab omnibus perueniatur. 41.
Cum enim primi, qui in Societatem conuenerunt, per huiusmodi indigentiam, ac penuriam maiorem rerum corpori necessariarum probati fuerint, qui post eos accedent, curare debent, vt quoad poterunt, eò pertingant, quò illi peruenerunt, & vlterius etiam in Domino progrediantur. Exam. Gen. c. 4. §. 26. & Constit. par. 6. cap. 2. §. 16. 42.

Vt in hac etiam parte, modo consentaneo debitæ paupertati procedatur, nullum in domibus Societatis Jumentum, ad vsum alicuius de ipsa Societate, siue præpositus, siue subditus ille sit, ordinariè habebitur. Constitut. par. 6. c. 4. §. 14. 43.

Qui maioribus pollent ad viam peragendam viribus, eos, qui sunt infirmiores, subsequi, & non præcedere debent: Et iter cuiusq; diei horum debilium infirmitate commensuretur. Quod si quis viribus destitueretur, iumento, aut alia ratione iuuari debet. Qua in re, non qualitatis personarum, sed necessitatis, & charitatis fraternæ ratio est habenda. In Summar. Regul. peregr. §. 6. 44.

Quo meliùs Paupertatis puritas & quies illa quam secum adfert, conseruetur: non solùm particulares professi, vel 45.

coadiutores formati, hæreditariæ succesſionis non erunt capaces, verùm, nec domus, nec Eccleſiæ, nec collegia, eorum ratione. Sic enim omnibus litibus, & controuerſiis præciſis, charitas cum omnibus, ad Dei gloriam, meliùs conſeruabitur. Conſtitut. par. 6. c. 2 §. 12.

46. *In ijs Collegijs, quæ duodecim ſcholaſticos, ex proprijs reditibus (præter præceptores) alere poſſunt, ob maiorem populi ædificationem, nec petantur eleemoſynæ, nec illæ, aut dona vlla oblata admittantur. Si reditus minores fuerint, quàm huic numero alendo ſufficiant, admitti quidem, non autem peti aliquæ eleemoſynæ poſſent, niſi tanta paupertate collegium premeretur, vt etiam petere ſaltim à quibusdam eſſet neceſſarium.* Conſtit. par. 4. c. 2. §. 6.

47. Omiſſis aliis pluribus allegationibus, hæc eſt ſecunda poſeſſio viuendi, ex ipſis Conſtitutionibus deprompta, poſtquam ſe ad tractanda ſtudia literarum applicauit Societas.

Tertia poſeſſio viuendi.

48. De tertia Patrum Societatis poſſeſſione viuendi aliquid dicturus, nihil extra iuncturam induco de meo: aſſumo illud pro fundamento, quod allegant vindicationes Societatis ex S. Bonauentura, in hæc verba: *Tertiò illud, ad quod vocatur, recolat; quia eum, non ad Regulam B. Auguſtini, vel Benedicti, Redemptoris gratia reuocavit, ſed ad illam ſacratisſimam, quam ipſemet elegit, quando ductus eſt in deſerto, vbi quadraginta diebus, & noctibus continuis ieiunauit, & in maxima paupertate per mundum prædicauit, & ſalu-*

saluti omnium ardentissimè intendit, & præcursor suus propriè instituit, ipsam in seipso seruans; & nobis seruandam monstrauit. Intantum alijs regiminibus sublimior Regula, in quantum doctrinam humanam diuinum eloquiuum præexcellit. Vindicat. Soc. c. 48. fol. 376.

Ad hanc recollectionem vindicationes Soc. talem sibi formant quæstionem: *Quanta, rogo te Lector, irarum flamma in nos exardesceret, si nostrum quispiam sic loqueretur?* ibid. fol. 376. 49.

In defectu Solutionis huius quæstionis, ego subiungo: Non tam demissè sentio de Ignatiano proposito, vt majora de se pronunciare non possit, quæ cum S. Franciscus, & S. Bonauentura audierint, opus est, vt in genua procumbant, & eius tam excelsum Institutum à Spiritu S. in nomine Jesv dictatum, venerentur. Argumentum suppeditant Vindicationes Societatis, his verbis: 50.

Qui conspirantibus animis, grande aliquid aggrediuntur, solent quasi propositi tesseram, atq; incitamentum, cognomen aliquod sibi imponere; & stemma præferre; non quasi eius laudis præstantiam, sed studium professi: idq; extra omnem superbiæ notam, inuidiamq;, at non extra sublimis animi commendationem. 51.

Non secus Ignatius cum ad imitationem Jesv Christi, in quærenda hominum salute, Societatem suam institueret, atq; erudiret, nomine ipso, ac stemmate, votum hoc pium explicare voluit, & enutrire, vt quoties hi aut se vocari audirent, aut insigne sui ordinis aspicerent, toties debiti ac promissi muneris admonerentur. Id ergo causæ habuit, cur pro stemmate diuinissimum Jesv nomen deligeret, adiecta Epigraphe: ad maiorem Dei gloriam, curq; ex ipso Jesv descriptam à se militiam denominaret. Vindicat. Soc. c. 6. fol. 18. 52.

Repeto

53. Repeto animosum, & gloriosum dictum : *Validum quippe mortalibus calcar, ad magna persequenda, magna palam spopondisse.* Ad hunc finem facio, vt Societas ordine S. Francisci, de quo S. Bonauentura superius gloriatur, se non inferiorem, imo superiorem agnoscat, & profiteatur. Sed frustra laboro, frustra primi instituti tam excelsam prærogatiuam commemoro, quando Patrum Societatis tertia posessio viuendi, jam seipsam toti Orbi Christiano

54. ita manifestauit: *Nos cænobitæ sumus, qui mixtam actionē contemplationem profitemur.* Vindicat. Soc. cap. 32. fol. 178. *Hinc nemo non videat, angustiorem paupertatem, rerumquē communium inopiam Societatis proposito fini, quâ communi, quâ speciali, perincommodam fore.* Vindicat. Soc. cap. 49. fol. 387. *Exiget proinde Alumnos honesti sanguinis, vtpote cuius & ingenium & vrbanitas plerumq; comites. Hanc verò anticipationem, quicunque materno cum lacte hausit, & conuictui nostro peridoneus, & ministerijs nostris apprime tutus &c. Leges verò par est, vt consueta recipiant, ac proinde tales leges ad Societatem faciunt, quales pubem patricij sanguinis, & quod huic proximum est, tenerioris habitudinis, non absterreant. Nullum exitiosiùs Societati consilium foret, quàm*

55. *quorundam, qui ad omnem austeritatem effic̄ti, vellent, vt ipsorum exempla, non modo laudum essent materia, sed legum forma,* &c. *Expedit namque, vt quædam profanæ vitæ delectamenta, quæ negata cupidinem, vsurpata fastidium creant, possessione magis, quàm repudiatione vilescant.* Vindicat. Soc. c. 50. *Nimirum eas modo voluptates admittimus, quæ per se naturales functiones comitantur, non quarum luxus est artifex,* ibid. cap. 14. fol. 79. *Hæc, quæ nobis suppeditan-*

56. *tur qua vitæ præsidia, qua lenimenta, non hic ego erubescens confi-*

confiteor, quin prædico, quin probo. Ergone duritatem illam, quæ sanctissimis Ordinibus in deliciis est, improbas? Imo eam collaudo, ac deueneror. Sed eandem, si nobis præscriberetur, elata voce damnarem. Vindicat. Soc. cap. 50. *Nostræ siquidem Leges nec prædura sunt, neque subditos suos vlla peccati obligatione deuinciunt. Quodsi Societati tanta est, vt verè est, ab inferis dissociatio, tamque facilis gradus ad superos, quantinam solatij parentibus esse debet, in ea conditione natum suum cernere, vt præsentiant, quantum mortalibus licet, se adoptiuum Deo, non Satanæ mancipium genuisse.* Vindicat. Soc. cap. 14. fol. 78. 57.

Plura allegare omitto, quia breuis esse volo: Sufficiat beneuolo Lectori meo, hæc principaliora puncta ad oculum demonstrâsse.

Hæc triplex Patrum Soc: Possessio viuendi quos effectus in Christianitate produxerit?

Vindicationes Societatis, dum discrepantes hominum 58.
in Societatem affectiones examinant, summariè ac compendiosè hanc quæstionem nobis resoluunt, quando ita dicunt: *Nullus mortalium cœtus, recentibus hisce seculis ab hominum genere tantum fauoris expertus, ac Societas Iesu: nullus æquè tantùm insectationis. Eadem immortaliter collaudata, eadem acerbissimè reprehensa. Alii hunc Ordinem, quasi collapsæ virtutis, adeoque pietatis restitutorem liberaliùs extollunt: eundem alii, ceu Christianæ Reipub: corruptelam, ac morum pestem execrantur.* Vindicat: Soc: c. 1. §. 1. fol. 1.

 Cuinam

Cuinam ex ſupra dictis poſſeſſionibus viuendi, laudes, aut vituperia conueniant?

59. Primi Socij, & ſic prima illarum poſſeſſio in ſumma paupertate viuendi, magnis encomijs à Paulo Papa tertio celebrata eſt; *quod ſpiritu S. afflati, ſuum Inſtitutum ad imitationem vitæ & morum Saluatoris noſtri, ſibi præſcripſerint.* Vnde illud ſibi pro confirmatione oblatum, laudauit, approbauit, & pro perpetuis futuris temporibus benedixit, in Bulla, Regimini, edita v. Calend. Septemb. Anno 1540. quando Societas Jesv naſcebatur. Hæc durauit per 25. annos ſub bino Generalatu, de quo Hiſtoria Soc. in
60. Anno 1565. ita ſcribit: *Hucusq; Societas procedebat læto ſucceſſu; & ita ab Ignatio Loyiola, ſuo Fundatore, & Jacobo Laynezio, ſucceſſore, è vita decedentibus relicta, vt & magnorum virorum probitate floreret, & celebritate nominis, vbique per totam Chriſtianitatem commendaretur.* Sacchin. Hiſtor. Soc. lib. 1. fol. 1.

61. Alia Societatis poſſeſſio viuendi, ad tractanda ſtudia literarum applicata, ex eo quod gratuitam doctrinam, ſine vllo cenſu, & ſine vllo ſtipendio profiteretur, ſolâ prouidentiâ diuinâ contenta, & ex aliis piis Conſtitutionibus ſuis, quæ ſupra à n. 31. usq; ad n. 47. enumerantur, adeo Concilio Tridentino placuit, vt eam cæteris Magiſtris ſalariatis, in docendo præferri voluerit. Vindicat. Soc. cap. 21. ad finem fol. 154.

62. Et hæ ſunt duæ Patrum Societatis poſſeſſiones viuendi, adeo

di, adeo innocentiâ suâ laudabiles, & commendabiles, vt cum neminem vnquam læserint, consequenter nullius vituperium, nullius maledictionem, aut obtrectationem promeruerint.

Ad hanc innocentiæ felicitatem videntur aspirare, 63.
ipsæ Vindicationes Societatis, quando ita loquuntur: *Quinam præ nobis tutiores, quinam impensiùs amore, ac veneratione culti, si ea tantum munia complectamur, quæ superis accepta, hominibus salutaria, nemini infensa, extra aleam infortunati euentus collocata?* Vindicat. Soc. c. 50. fol. 396. ad finem.

Tertia possessio viuendi, est modernus status Socie- 64.
tatis; de eo quid dicam? Nefas puto commemorare, quid contra eundem dissidentes in Religione magnis voluminibus contestati sint, quia præsumuntur, odio Religionis hæc scripsisse. Sileo Schoppios, Vargassios, Elixirios, Solipsios, & alios, quorum obscuriora nomina, & opera, sine censura & approbatione Ecclesiastica in lucem edita, non merentur, vt illorum aliqua ratio habeatur. Præterco
65.
& illa, quæ Julius Scotus in Italia; Astrum inextinctum Benedictinorum in Germania; P. Valerianus Magnus, Cappuzinus in Bohemia; Apologia Regularis Discalceatorum in Polonia; Petrus Aurelius in Gallia; Mariana de morbis Soc. in Hispania; Archiepiscopus, nî fallor, Angelopolitanus in India; & alii quamplures vbique locorum viri Catholici & Religiosi scripserunt, quæ alijs iudicanda relinquo.

Illud vnicum me in magnam rapit admirationem, 66.
quòd Palauicinus, speciosis argumentis, & eleganti stylo, ab obtrectatoribus, per integra quinquaginta sui libri ca-

pita, vindicans Societatem, finaliter in hæc verba prorumpere coactus fuerit: *Ego verò meliore in loco me versari confido, quàm vt cogar miseram hanc defensionem arripere. Vt enim verissimum sit, aliquando probos odijs, & calumnijs vexari; quis tamen neget, odium publicum, magnam esse notam improbitatis?* Palauic. Vindicat. Soc. c. vltimo. fol. 398.

67. Hac triplici possessione vitæ Patrum Soc. demonstratâ, quarum prima, & secunda laudibus exornata; tertia *non solùm grauissimè reprehensa, sed tanquam Christianæ Reipubl: corruptela, & morum pestis execrationem promerita*, vt loquuntur Vindicat. Soc. cap. 1. fol. 1. §. 1. excitauit in me desiderium sciendi, quo sensu hæc vituperia Societas acceperit.
68. Et doctissimus Palauicinus ita me docet: *Si quidquam à nostris peccatur, vitium est veniâ, non obiurgatione dignum; quippe non proprium, sed commune, & veriùs vniversæ naturæ vitiatæ, quàm nostrum: Qualium vitiorum quicunq; munditiam in nobis flagitat, næ ille nos imprudens, non tam abjicit, quàm attollit; quasi nos tam eximios ratus, quos noxarum, ex gentili peccato fluentium puros non immeritò speret.*
69. *Adeoq; similiter nos exprobratione ista cohonestat, ac si quis ex falso præiudicio nostræ conditionis, humanam prætergessæ mortalitatem, morbos, lapsus mentis, iræ, cupidinisque rebelles motus, quasi nobis euitabiles, exprobraret. Tunc quidem merentes exprobrationem pateremur, cum aliquod vitium nostris legibus, Institutisq;, aut primorum exemplis, hoc est, tacitis quibusdam legibus, foueretur. Sed hoc quàm longe absit, considera.* Vindicat. Soc. cap. 48. fol. 377.

Conside-

Conſiderationes legum Societatis; Socijs, tertij anni probationem exercentibus, accommodatæ.

Obtentâ gratiâ à vindicationibus Soc. vt mihi leges 70.
eiusdem conſiderare liceat; ad imitationem S. Bernhardi, ſicut ille ſuas conſiderationes direxit ad Eugenium Papam; ita & mihi, ad Socios, tertij anni probationem exercentes, ſermo erit, non ſine cauſa: Quia illis facultas conceſſa recolendi, explicandi, commentandi Regulas, & Conſtitutiones Societatis. Vindicat. Soc. cap. 30. fol. 253.

Conſideratio prima: An mutatio Inſtituti So- 71.
cietatis, occaſionem vituperijs non dederit? Hanc mutationem doctiſſimus Palauicinus non admittens, tali vtitur ſimilitudine: *Quid enim? An tibi expeditum videretur, nouam hominis naturam effingere, quæ retentis quibusdam humanis membris, alia tamen diuerſa gerat, ac ille homo, qui nunc habetur? Scilicet periculum erit, ne ſi humano capiti equinam ceruicem adiunxeris, variasq; plumas induxeris, deridiculo ſis, vt Venuſinus ominatur: aliqua enim membra retinenti, aliqua peruertenti; in procliui erit, vt pro emendatori opere, monſtrum exeat.* *Videlicet cum pulchritudo ac* 72.
probitas opificiorum, tota verſetur in apta proportione partium, quis non videat, quàm pronum ſit, vt alijs inductis partibus, quas egregius faber, vti credibile eſt, repudiauit, priſtina pulchritudo in abnormem deformitatem degeneret. Vt enim aliquando vnius literulæ commutatio, ſententiam non euertit

 modò,

modo, sed priori opponit; ita nonnunquam si ex optimis aliqua demas, pessima efficies. Vindicat. Soc. cap. 16. folio 98. & 99.

73. Consideratio secunda: An aliqua non sint adempta ex Instituto primo, per illam declarationem, quæ legitur in Bulla Julij iij, incipiente, Exposcit, edita anno 1550. clarè patet, quod hæc Bulla iam aliud contineat Institutum sub specie declarationis reformatum, per quam multa videntur adiecta, plura ex primo Instituto adempta. Et quia contraria iuxta se posita magis elucescunt; Ego Romæ, è diametro vnum alteri per puncta opposui, pro informatione Summi Pontificis Alexandri vii. propter lucrandam causam occupatæ hæreditatis Jaroslauiensis: Ex quo

74. patuit, Institutum primum in paupertate & expressa prohibitione possessionis Bonorum Terrestrium fundatum, seruire nobis pro victoriâ; secundum verò iam declaratum, non solum ad bona stabilia retinenda, sed ad maiora pro Societate acquirenda, dabat licentiam & facultatem. Videbatur ergo hoc declaratum non mereri fidem, ex multis

75. rationibus: Primo, quia sustulit obedientiam Summo Pontifici, eamq; Ecclesiæ præstari voluit. Secundò, sustulit humilitatem, & pro ea imposuit deuotionem. Tertiò, sustulit exercitium docendi rudes & agrestes doctrinam Christianam, quod obligabat vniuersos & singulos, etiam doctiores, præstare hoc officium pietatis. Nunc autem soli Tyrones aliquando diebus festis id faciunt, in maioribus Ciuitatibus, vbi habent Collegia: Oppida & villæ, vbi propriè sunt rudes & agrestes, carent isto pabulo do-

76. ctrinæ Christianæ. Quartò, sustulit paupertatem, eiusque declarationem totaliter extirpauit, quæ sic sonabat:

Decla-

Declarantes, quòd non solùm priuatim, sed neq; etiam communiter, possint pro Societatis sustentatione, aut vsu, ad bona aliqua stabilia, aut ad prouentus, seu introitus aliquos, Jus aliquod Ciuile acquirere: sed sint contenti, vsum tantum rerum, ad necessaria sibi comparanda, recipere. Hoc totum punctum in declarato Instituto penitus sublatum est. Quintò, circa confirmatio
nem sustulit Apostolicam benedictionem. Sextò, ad 77.
possessionem bonorum stabilium, & ad omnem vitæ commoditatem, exclusa mortificatione, ianuam aperuit. Septimò, totam viuendi normam reduxit ad Declarationes; in pluribus locis hæc verba repetendo: *Prout in Constitutionibus declarabitur.*

Consideratio tertia: Quæ mens fuerit S. Ignatij, 78.
circa Declarationes faciendas, quod aperte colligitur ex subsequenti Constitutione: *Paupertas vt murus firmus Religionis diligenda, & in sua puritate conseruanda est, quantum diuina gratia aspirante fieri poterit.* *Et quia humanæ naturæ* 79.
hostis, ad hoc propugnaculum ac refugium debilitandum, (quod Deus Dominus noster Religionibus inspirauit contra illum, aliosq; Religiosæ perfectionis aduersarios) eniti solet ea, quæ à primis fundatoribus bene ordinata fuerunt, immutare per declarationes, vel innouationes primo illorum spiritui minimè consentaneas: Vt quod in nobis situm fuerit, hac parte Societati prospiciamus; Quicunq; in ea professionem emiserint, se ad innouationem Constitutionum in iis, quæ ad paupertatem pertinent, nihil facturos promittant; nisi aliquo modo pro rerum occurrentium ratione, eam in Domino magis restringendam iudicarent. Constitut. par. 6. c. 2. §. 1.

Con-

80. Consideratio quarta: Vtrum Societas hoc paupertatis propugnaculum demoliri, aut conuelli voluerit? De quo sequitur tale Decretum: *Cum quidam ex Patribus proposuissent, vtrum Constitutiones, quæ ratione temporum, vel alias ob causas in praxi non sunt, expungendæ essent? Responsum est, nulla ratione id faciendum, sed potius oportere, vt omnes inuiolatæ permaneant, vt quales à S. memoriæ R. P. N. Ignatio acceptæ sunt, tales identidem ad posteros transmittantur.* Congregatio Generalis tertia, Decreto 13. Ex

81. quo constat plures Constitutiones S. Ignatii, modernæ Societati in praxi non esse, & ferè omnes illas, prout ego obseruaui, quas S. Ignatius ob maiorem populi ædificationem constituit, quod tam est clarum, vt negari non possit, quin semper probari, & ad oculum deduci potest.

82. Consideratio quinta: Vtrum amplius dubitari possit de mutatione legum Societatis, quando de illis Joannes Mariana ita loquitur: *Certa res est, quod noster P. Ignatius nunquam sperabat, vt in nostram Societatem deberet intrare tanta multitudo personarum, quanta hodie reperitur. Jam ergo mutatis temporibus, & rerum statu, pariter opus etiam fuit accommodari, ac mutari ipsas leges.* Mariana de legibus c. 14. fol. 77.

83. Et in alio loco ita dicit: *Diuersa res est, dare leges alicui communitati, quando illa formari incipit, planè ita accidit, ac si infanti hodie nato darentur vestimenta, quibus tota sua ætate vteretur, quod sine miraculo fieri non posset, postquam corpus illius grandius aut mediocrius, ad certam mensuram reuocari non potuerit, & propterea esset stultitia, & magnus error, si quis vellet esse ita pertinax & obstinatus, vt hæc persona*

vta-

vtatur illis vestimentis, propterea quod suus Pater talia sibi reliquerit. Et sic Corpus Societatis, cum sit totum contrarium 84.
illi, quod fundator destinauerat, & formauerat, nonne esset maximus error, ut illis legibus vtatur, quæ sunt datæ à principio Corpori Societatis, totaliter differenti & dissimili, quam sit de præsenti? Mariana de Legib. Soc. cap. 19. fol. 91. & 92. Et hic est testis omni exceptione maior, adolescentulus Societatem ingressus, anno 1554. adhuc viuente S. Ignatio: Septuaginta annos vixit in Societate: Anno demum 1624. mortuus.

Reflexio supra prædictas Considerationes, directa ad Socios, tertium probationis annum exercentes.

Quandoquidem Socij, tertium probationis annum exercentes, *vos illi estis, quorum hic annuus labor est, vt omni alio studio interdicto, veræ absolutæq́; virtutis studiosi sitis, discendo vno Deo satis impleri, & assuescere officijs illis, à quibus omnis abest naturalis irritatio, quæq́; vnum stimulum habent, spem, amoremq́; cælestis boni,* vt asserunt Vindicat. Soc. cap. 30. 85.

Perpendite supradictas Considerationes, & videte, 86.
quomodo illarum virtutum possitis esse studiosi, quas Declaratum vestrum sustulit Institutum. Vt supra n. 79. Ex quo fonte vituperia modernæ vitæ in vos deriuata sunt. Vt supra n. 71. Et quoniam huiusmodi Regulas & Consti- 87.

 tutio-

tutiones recolere, explicare, & commentari, vobis data sit potestas; non liuore aliquo permotus, sed charitate Christiana adductus, præmoneo: Non vos fallat illa legum vestrarum securitas, & gloria, quam Vindicationes
88. vestræ ita enunciant: *Nostræ siquidem leges nec prædura sunt, neque subditos suos vlla peccati obligatione deuinciunt. Quod si Societati tanta est, vt verè est, ab inferis dissociatio, tamq; facilis gradus ad superos, quantinam solatij parentibus esse debet, in ea conditione natum suum cernere, vt præsentiant, quantum mortalibus licet, se adoptiuum Deo, non Satanæ mancipium genuisse.* Vindicat. Soc. cap. 14. folio 78.

89. An non sit fallax hæc assertio, sequentia indicant, quæ ita sonant: *Huc accedit, multos esse (apud nos) quibus mediocriter peccandi, aut etiam liberius degendi licentia satisfacit, qui si eò adigantur, vt nisi absolutè probi sint, scelesti esse debeant, summum scelus summæ virtuti præoptent, ac tanquam conclusæ feræ, si fuga desit, in stragem ruant. Quocirca his, in bona venia pateret exitus, ita illum per crimina patefacerent, vt vel in Lernam illam Christiani Orbis Genenam se se proriperent, vel patibula, triremes, ergastula criminibus prouocarent.* Verba sunt Vindicat. Soc. c. 17. fol. 110.

90. Per amorem Dei, & proximi, liceat inuestigare, quæ causa sit, quod cum Societas per suas leges non sit peccaminosa; quid illud est, quòd tam grauibus pœnis Socios eius faciat obnoxios? Dicam quod sentio, saluo
91. meliori iudicio, & sine præiudicio veritatis: Institutum illud Declaratum, videtur esse fons & origo omnium malorum, in quo contra mentem S. Ignatij, Obedientia Summo Pontifici immutata; Humilitas abiecta; Exerciti-

citium doctrinæ Christianæ, in locis, vbi sunt rudes & agrestes, per doctiores faciendum, penitus euacuatum; Mortificationes extinctæ, & in locum illarum, omnes commoditates vitæ superinductæ; Paupertas ad speci- 92.
em posita; Cuius declaratio; *Non licere Societati, tam priuatim quam communiter, Bona stabilia acquirere;* penitus euulsa, & eradicata: prout videre licet, si curiosus Lector voluerit, purum illud, simplex, laudabile, & gloriosum institutum, cum suo declarato, conferre; Primum inueniet, in Bulla Pauli iij. incipiente, Regimini, de Anno. 1540. Secundum iam declaratum, per omnia primo contrarium inueniet in Bulla Julij tertij, incipiente, Exposcit, de Anno 1550.

Discursus de Hæreditate Jaroslauiensi à Societate occupata.

His ad oculum deductis, & demonstratis, quæro, 93.
An Socij tertium annum probationis exercentes, (*qui debent esse omnium virtutum studiosi, & sola cælestia meditari,* vt volunt Vindicat. Soc. cap. 30.) possint bona stabilia, occupatæ hæreditatis Jaroslauiensis, viginti millium florenorum annui prouentus, possidere? Pro negatiua primum illud laudabile, gloriosum, & benedictum institutum, quod bona stabilia possidere non permittit, strenuè militabit.

Pro affirmatiua, si Societas aliud institutum iam de- 94.
claratum, & sic primo contrarium, allegare, & possessionem ita viuendi commemorare voluerit, Testimonio ipsius

 psius

psius S. Ignatij conuincetur, qui in sua Constitutione præmonuit, huiusmodi declarationes, primo Fundatorum spiritui contrarias, ab hoste naturæ humanæ proficisci. Vt supra n. 79.

95. In hoc conflictu rationum, annon plausibile erit Actoreæ parti, quando homines Politici, pro sua victoria, testimonia Pauli Papæ iij. ex Bulla illius incipiente, Regimini, allegabant dictamen spiritus sancti; *quo afflatus Ignatius cum suis nouem Sociis primum institutum composuerunt*; Declarantes, *quod Societas neq; priuatim, neq; communiter possit ad bona aliqua stabilia, siue ad introitus, Jus aliquod Ciuile acquirere*: Quod idem Paulus Papa iij. laudauit, approbauit, & pro perpetuis futuris temporibus benedixit. Bulla, Regimini, de anno 1540.

96. In Contrarium, Societati an non pudor erit, si fundata ad imitationem vitæ, & morum Saluatoris nostri, pro manutentione possessionis bonorum stabilium, declarationem primo Spiritui fundatoris contrariam, & sic ab hoste naturæ humanæ suggestam, allegauerit? Quam æquus Judex, solum Deum, sanctamque eius iustitiam præ oculis habens, procul dubio non admittet.

97. Hæc sufficiat deprompsisse ex institutis Societatis. Est aliquid aliud, quod Actoreæ parti ad victoriam seruiet: Et illud est, quod vindicationes Soc. ita loquuntur: *Frequenter piæ fœminæ vouent, facturas se, quæcunq; Sacerdos earum ductor iniunxerit, & quidem non sub ea exceptione, si meliora videantur, sed absolutè. Cuius voti frequentia satisne prudens, hic non inquiro.* Vindicat. Soc. cap. 38. fol: 296.

98. Considerando hoc votum, quis non animaduertat, Ducis-

Ducissam Palatinam, exemplo Jesuitissarum, ab Vrbano viij. extinctarum, ad Societatem illectam fuisse, & eo respectu Jesuitis tam ampla bona hæreditaria donasse.

Irrita est talis donatio, quam subsequens Canon Moguntinensis reuocat, & donata hæredibus adscribit, prout sequitur: *Constituit sanè sacer iste Conuentus, vt Episcopi siue Abbates, qui non in fructum animarum, sed in auaritiam, & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumueniendo, totonderunt, & res eorum tali persuasione surripuerunt, pœnitentiæ Canonicæ, vtpote turpis lucri sectatores, subiaceant: Hi verò, qui illecti comam deposuerunt, in eo quod cœperunt, perseuerare cogantur: Res verò illorum hæredibus reddantur.* 16. q. 7. c. 42. 99.

Obseruauit hunc S. Canonem S. Ignatius, quando propter maiorem populi ædificationem, prohibuit, ne quisquam de Socijs vllam personam ad perpetuas eleemosynas domibus suis, vel Ecclesijs relinquendas, incitaret, quod fusius supra continetur. n. 37. 100.

Transgressa est Societas moderna hoc laudabile decretum, quando non iam perpetuas eleemosynas, sed ipsa bona stabilia dari & legari sibi contendit. Quod in Polonia negare non potest, si in memoriam sibi reuocauerit, quid publicè scripserit, & typis impresserit, in *Epistola cuiusdam ad quendam Magnatem, scire cupientem, quomodo bona sua, cum vtilitate animæ suæ, disponere posset; & cuinam Religioni simul cum Nepote addicare.* Testis est Apologia Regularis, quæ iniuriam alijs Religiosis Ordinibus, per scriptum illatam vindicauit. 101.

Pro hac vtilitate animæ suæ, & parentum suorum, Ducissa Palatina, Jesuitis bona sua donauit, vt Missis, Sacrifi- 102.

cijs, & alijs pijs officijs, per modum suffragij possent adiuuari. Quæ bona eo fine sibi oblata, an potuissent acceptare, sequens Ignatiana Constitutio declarat:

103. *Nec etiam (quamuis alijs sit licitum) pro Missarum sacrificiis, vel prædicationibus, vel lectionibus, vel vllius sacramenti administratione, vel quouis alio pio officio, ex iis, quæ iuxta suum officium Societas potest exercere, stipendium vllum, vel eleemosynam, quæ ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solent, ab alio quàm à Deo (ob cuius obsequium omnia purè facere debent) possunt admittere.* Exam. Gen. cap. 1. §. 3.

104. His & alijs argumentis Patres Societatis, non sine rubore ad angustias redacti, ô quàm meliùs, & honestiùs, illa maiorum suorum exempla imitarentur, quæ doctissimus Palauicinus, ita nobis repræsentat:

105. *Nullus Religiosorum Ordo crebriùs, ac faciliùs consentit, vt eum ingressi censum omnem in Consanguineos transscribant; nullus rariores habet, qui ex Asse relicto, vnciolam retinuerint; nullus qui ex pecuniis, aut fundis sibi, datis ampliùs in testatorum, vel donatorum cognatos liberaliter fuderit. Certè ex septem quos habuimus Generalibus præpositis, vnius mutii vitelleschi largitiones, quà miserationis; quâ grati animi; quâ præcidendarum litium, quamuis inanium, titulo, incredibilem auri vim compleuere, vt scriptæ tabulæ contestantur.*
106. *Nec diu est, cum Vincentius Caraffa, me inter cæteros, quibus id deliberandum commiserat, suffragante, solo grati animi nomine, decem scutorum millia donauit, quo nepos quidam adolescens defuncti viri, de Romano Collegio præclarè meriti, familiam ducere posit, eamq; honorificè sustentare.* Vindicat. Soc. c. 49. fol. 382.

Lauda-

Laudabilis hæc gratitudo in oculis Summi Pontifi- 107.
cis, & totius Curiæ Romanæ conſpectu, teſtificata, proximum enim periculum erat, ne leges Societatis, talia dona, ſeu legata prohibentes, ad notitiam deuenirent, ideo his ſua ſponte cedere placuit, ne inuitis iuſtitia detraheret, quod alias poſſideri non liceret.

Hæc gratitudo minorum Beneficiorum, intra fines 108.
Italiæ commoratur, ad Vltramontanos reſpicere non dignatur: Vix aliqua familia in Chriſtianitate reperitur, quæ tantos ſumptus pro fundanda, & conſeruanda Religione, expenderit, ſicut domus Oſtrogienſis: Taceo ampliſſimas fundationes Græci ritus, antequam ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ conuerteretur. Prætereo nobiliſſimam fundationem Collegiatæ Eccleſiæ Jaroslauienſis, & tot aliarum Patrochialium cum largo prouentu erectionem.

Sola beneficia ipſis Patribus Soc. præſtita, & in funda- 109.
tione duorum Collegiorum Jaroslauienſi & Oſtrogienſi profuſa, commemoro; quæ de bonis Ducum Oſtrogienſium & Jaroslauienſium erecta, ad ſexaginta millia florenorum annui prouentus aſcendunt. Huius ipſius Du- 110.
ciſſæ Palatinæ, per triginta annos ſuæ viduitatis ordinarij prouentus plures milliones excedunt, quorum Patres Societatis, Aulæ ſuæ Miniſtri, pro ſuo libitu diſpenſatores fuerunt. Et poſt mortem, totam Ducalem, & Palatinalem mobilem ſubſtantiam, vigore donationis, ſiue legati, ad ſe traxerunt.

Tantarum opum, & immenſarum largitionum pro- 111.
fuſio, doceri volo, an non mereretur gratitudinem, ne hic fons exceſſiuæ liberalitatis exhauriretur, per fundationem tertij Collegij, ſiue domus, cum prouentu annuo viginti mil-

ti millium florenorum, in qua Domo, Socij, tertij anni probationem exercentes, sua gauderent commoditate: Cum tamen illud magis respicere debuerint, quod illis S. Ignatius his verbis præscripsit:

112. *Qui Societatem sequi velit, sui victus, potus, vestitus, & lecti rationem, sibi persuadeat fore vt pauperibus accommodatam, in quibus habenda erit semper ratio humilitatis, paupertatis, ac spiritualis ædificationis, quod semper nobis in Domino ob oculos versari debet. Ideo quæ vilissima erant, ex ijs, quæ domi sunt, ei tribuentur propter ipsius maiorem abnegationem, & spiritualem profectum, & vt ad quandam æqualitatem, & veluti mensuram ab omnibus perueniatur.*
113. *Cum enim qui primi in Societatem conuenerunt, per huiusmodi indigentiam, ac penuriam maiorem rerum corpori necessariarum probati fuerint; qui post eos accedent, curare debent, vt quoad poterunt, eò pertingant, quò illi peruenerunt, & vlterius etiam in Domino progrediantur.* Exam. Gen. c. 4. §. 26. & Constitut. par. 6. c. 2. §. 14.

Et sic tertij anni probatio, ad Exemplum primorum Sociorum conformata, bonorum stabilium capax fieri non potuit, quia & primi Socij, vigore sui primi instituti, illorum capaces non fuerunt.

An Societas ad Scholas applicata, voluerit esse grauis Reipub:

114. Propter applicationem ad tractanda studia literarum Societas dispensata, vt aliquos introitus possideret, talem sibi fecit Constitutionem; *In ijs Collegijs, quæ duodecim scho-*

scholasticos ex propriis reditibus alere possunt, ob maiorem Populi ædificationem, nec petantur eleemosynæ, nec illæ, aut dona vlla oblata admittantur. Si reditus minores fuerint, quam huic numero alendo sufficiant, admitti quidem, non autem peti aliquæ eleemosynæ possent, nisi tanta paupertate Collegium premeretur, vt etiam petere, saltim à quibusdam esset necessarium. Constit. par. 4. c. 2. §. 6.

Adest Declaratio huic Constitutioni contraria, quæ Socios multiplicari permittit, vsq; in infinitum; sed hæc Religiosis hominibus non est attendenda, quia S. Ignatius omnia primo spiritui fundatorum contraria, ab hoste naturæ humanæ proficisci declarauit. Vt supra n. 79. Et sic Collegia duodecim personarum, non poterant esse grauia, & onerosa Reipub. 115.

Quos sumptus Societas requirat, pro una persona, sine damno Reipublicæ.

Ita de his sumptibus loquitur Palauicinus, prout sequitur: *Deinceps sicut erat propositum, dicamus super eo Reipubl. detrimento, quod nobis vehementer obiectant: Sed verè quid absurdius, quàm Reipub. iacturam vocare, si adolescentes, indole præclari, eam vitam perpetuò amplexentur, non aliam admittentes mercedem, quàm Cibaria? Qualia verò Cibaria?* 116.
117. *Dicam rem, non tantum nobis omnibus, sed & externis Religiosorum Ordinum curatoribus; quin & quibuscunq;, nos paulo interius callentibus, notissimam. Quicquid nostrum*

ſtrum ſingulis alendis, veſtiendis inſumitur, Septuagena quotis annis ſcuta Romæ non excedit, quæ nec viliſſimo quidem circumpedi enutriendo immodica viderentur. Quam ergo mendosè diſputant, qui nos, tanquam compendio noſtro ſtudentes, & Reipubl. noxios accuſant. Vindicat. Soc. cap. 14. folio 82.

118. Et alio loco idem Palauicinus ita loquitur: *Vt enim aliàs oſtendi, vtq́ in omnium oculis eſt, nihilo ſumptioſior vlli ex noſtris, quam deſpicatiſſimo cuiq́, circumpedi, ducitur vita quando Romæ (hinc facilis eſt coniectura ad alias vrbes) vbi profectò nec annonæ, nec veſtium vilitas, ſena ſcuta menſtrua, noſtrorum ſingulis abundè ſufficiunt.* Vindicat. Soc. cap. 49. fol. 381.

119. Summæ gratiæ agendæ ſunt Vindicationibus Societatis, quod hæc nobis ignorantibus explicauerint. Faciamus calculum, quanta ſumma pro duodecim ſcholaſticis, in vno Collegio ſuſtendandis proueniat. Septuaginta ſcuta duodecies computando, faciunt octingenta quadraginta ſcuta, hæc reducendo ad monetam Poloniæ, non aſcendunt ad integram ſummam trium millium florenorum Polonicalium. Quod pro uno Collegio ſufficere Palauicinus his verbis aſſerit: *Sic ego, ſic mecum ſentiunt præcipui Societatis moderatores, qui nullum patiuntur Collegium ſuperuacuis vectigalibus opimum.* Vindicat. Soc. eodem. c. 49. fol. 383.

120. Nos verò ne videamur tam exacti & rigoroſi calculatores, addamus adhuc alteram ſimilem ſummam pro vno eodemq; Collegio, vt habeat annui prouentus integra ſex millia florenorum Polonicalium, vt ſeruiant pro fabrica con-

ca con-

ca conseruanda, Ecclesiæ & Collegij, & operariorum au-
ctione.

Ita sex millibus florenorum assignatis pro Collegio 121.
Jaroslauiensi; sex millibus pro Collegio Ostrogiensi; sex millibus (in quantum aliter fieri non poterit) pro noua domo, tertij anni probationem exercentibus. Sic ratio dictat; gratitudo requirit; discretio suadet, vt retento eo, quod est sustentationi trium Collegiorum sufficiens, reliquum, quod est superfluum, Hæredibus restituatur.

Annua Septuaginta scuta pro vnius personæ sustentati- 122.
one exponenda, non opus est, ad vnius circumpedis prouisionem mensurare, aut ponderare. Tali stipendio viuunt Caualieri di Malta, antequam ad aliquas commendas peruenerint, quibus Religio, Maltæ residentibus, non amplius quam sex scuta argenti in mensem numerat. Pro-
fessores Academiæ Cracouiensis multi sunt, qui minori 123.
prouisione contenti, in Cathedra pro bono publico laborando, gloriam suæ Vniuersitati conciliant.

Molesta erit Patribus Societatis hæc computatio, qui-
bus in Ciuitate Plocensi, vbi iam antea Collegium funda- 124.
tum erat, quidam benefactor, pro erigendo cursu Philosophico, & nobili iuuentuti eiusdem Palatinatus Plocensis prælegendo, dedit oppidum Nadarsyn cum aliquot villis adiacentibus, annui prouentus decem millium florenorum Polonicalium. Profecto si pro quolibet Professore 125.
Philosophiæ Nadarzynum requiratur; Respubl. Polona vix inueniet tot oppida, quæ tam pretiosis Magistris sufficiant. Quibus illud Poeticum adaptare liceat:

Si quoties capiunt Socij, sua prædia donet
Juppiter; exiguo tempore, pauper erit.

126\. Ipsi Ethnici Romani totius Orbis terrarum domini, suis Philosophis, paupertatem professis, tantam abundantiam non permittebant, quorum vnum Seneca ita reprehendit: *Est intolerabilis res, poscere nummos, & contemnere, indixisti pecuniæ odium, hoc professus es; hanc personam induisti; agenda est: Iniquissimum est, te sub gloria egestatis, diuitias acquirere.* Seneca de Beneficiis, quo loco, non recordor. Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum, Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit; neq; putauit, se simul posse, & virtutes, & diuitias possidere. 12. quæst. 2. cap. Gloria Episcopi.

An Canonicus hæc scribere potuerit, facta submissione Romæ, se non scripturum?

127\. Quæ vi, metusue causâ fiunt, Jus Canonicum pro infectis habere vult. Ingens illa vis fuit, quæ me, causam occupatæ hæreditatis Jaroslauiensis Romæ in Jesuitis vindicare volentem, in carcerem Turris nonæ, sine vllo processu detrusit, in eoq; per integros Sex menses detinuit, Priuilegio Romipetarum non obstante. Egresso ex illo carcere, vis eadem non cessauit, quando homini libero interdictum fuit, ne ab vrbe discederet, antequam cum Jesuitis concordaret.

Inde

Inde subsecutus duplex metus: Primus ne Canonicus diuturniori in Vrbe commoratione, iam sumptibus exhaustus, ad egestatem deueniret; hostibus Patriam occupantibus, omni spe subsidij pecuniarij destitutus. Alter metus fuit pestis Neapolitanæ, quæ vltimis diebus Maji, in Anno 1656. Romæ iam periculosè imminebat, ne illa pestifera contagione infectus, ibidem occumberet. Oportuit ergo scripturam à Patribus Societatis porrectam subscribere: vt pericula mihi imminentia per discessum ab Vrbe liceret euitare. 128.

Hæc talis scriptura, qualis sit momenti, declarat Ale- 129.
xander Papa, omnibus Orthodoxis ita scribens: *Si quandoq; à Sacerdotibus, quædam scripturæ quoquo modo per metum; aut fraudem; aut per vim extortæ fuerint; vel vt se liberare possint; quocunq; ab eis conscriptæ, aut roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præiudicium, vel nocumentum valere censemus: neq; vllam eos infamiam, vel calumniam, aut à suis sequestrationem Bonis, vnquam Deo authore, & sanctis Apostolis, eorumque successoribus, sustinere permittimus.*
Est etiam ad hanc sedem perlatum (quod pudet dicere, & non 130.
solum sacerdotali, sed etiam omni Christiano nomini est inimicum,) quod nonnulli, Sacerdotes aut metu compellunt, aut vi extorquent, aut fraude decipiunt, aliquas confessionis suæ in alteram partem, quàm debeant, literas scribere, aut pro suarum non requisitione causarum, aut (quod deterius est) pro alieni erroris Secta scripturas facere, & propriis manibus roborare, & coram populis recitare, atq; confiteri. Aliquos 131.
ducunt carceribus & ergastulis retrudi, vt saltem his territi insidijs, deuient Domini sacerdotes, & suis faueant voluntatibus. 15. q. 6. c. 1.

132. Hæc ſufficerent ad inualidandam extortam à me his artibus ſcripturam: Sed & promiſſis ſatisfeci; quia nihil de nouo ſcripſi, quod iam antea non ſcripſerim, & coram Eminen[mo] Cardinali Raggio, Mediatore ad concordiam ab Alexandro Papa vij. deputato, iam non diſputauerim. Promiſi me nihil ſcripturum contra Inſtitutum & Conſtitutiones S. Ignatij, ſatisfeci promiſſo: quia in ejus laudem omnia ſcripſi: Quicquid ille ab hoſte naturæ humanæ proficiſci iudicauit, hæc ego tanquam à patre mendacij ſuggeſta, non potui approbare, imò fide Catholica obſtrictus, debui refutare.

133. Scripſi pro veritate bonæ vitæ, quæ adeo eſt priuilegiata, vt eam quilibet homo Catholicus popalare, promouere, & defendere ſit obligatus, ſub peccato mortali; non obſtante humano interdicto: Quod S. Auguſtinus ita docet: *Quisquis metu cuiuslibet Poteſtatis veritatem occultat; iram Dei ſuper ſe prouocat, quia magis timet hominem, quàm Deum. Vterq; Reus eſt, & qui mendacium dicit; & qui veritatem occultat: quia & iſte prodeſſe non vult; & ille nocere deſiderat.* 11. q. 3. c. 80.

An hæc, quæ ſcripſit Canonicus pro Veritate, tacere debuerit, propter ſcandalum?

134. Bene præuideram inter Patres Soc. Polonæ ſcandalum ex meis ſcriptis, naſci debuiſſe: Sed ſciens, *quod ſcandalum vtiliùs naſci permittatur, quàm Veritas relinquatur,*

DeRe-

De Regul. Jur. c. 3. ideo postposito omni odio, & contemptis persecutionibus, quoniam *meliùs est, pro veritate pati supplicium, quàm pro adulatione recipere Beneficium*; ad scribendum me applicaui, pro veritate bonæ vitæ, quæ nunquam omitti debet, & vnusquisque ad eam propalandam tenetur. Prout asserit glossa. V. Veritas. De Regul. Jur. cap. 3. Et eadem glossa. c. Nisi. V. Distinguendum. De Renunc.

In tali casu, quomodo se gerere debeant scandalisati, 135.
Gregorius Papa Palladium Episcopum ita docet: *Inter verba laudantium, siue vituperantium, ad mentem semper recurrendum est; & si in ea non inuenitur Bonum, quod de nobis dicitur, magnam tristitiam generare debet: Et rursum, si in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim, si homines laudent, & conscientia nos accuset? aut quæ debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia liberos nos esse demonstret?*
Habemus Paulum dicentem (gloria nostra hæc 136.
est, testimonium conscientiæ nostræ) Job quoque dicit (Ecce in cœlo testis meus) si ergo nobis est testis in cœlo, testis in corde; dimittamus stultos foris loqui, quod volunt. Nihilominus idem S. doctor censet, vocandos esse scandalisatos, & tranquillè admonendos, eisq; modis omnibus satisfieri debere: Scientes quod de Judæis Veritas dixit; *Ne fortè scandalisemus eos.*

Authoritate tanti doctoris permotus, scandalisatæ Societati Polonæ constitui dare omnes satisfactiones.

Satis-

Satisfactio Prima.

Hæc ſatisfactio prima, deſumitur ex Euangelio: *Ni-*
137. *hil eſt opertum, quod non reueletur; Nihil occultum, quod non ſciatur;* Matth. cap. 10. Proinde cum Societas Jesv, id eſt, vitæ & morum Saluatoris noſtri imitatrix, à primo Inſtituto S. Ignatij deuiarit, & aliud in Bulla Julij iij, incipiente, Expoſcit, contentum, &, neſcitur à quo, declaratum, ad normam viuendi ſibi elegerit; & poſtea primæ ſuæ ad tractanda ſtudia literarum applicationis leges ſacroſanctas deſeruerit; contrarijsq; omnibus quaſi ab ipſo S. Ignatio declaratis, gubernari cœperit; in eo ſtatu, iam vltra quinquaginta annos perſeuerans; hoc tam diuturnum ſecretum, & arcanum quòd nunc per me ſit reuelatum, moderna Societas moleſtè ferre non debet: Quandoquidem Deus ita ordinauit; *vt nihil ſit occultum, quod non ſciatur.* Matth. cap. 10.

Secunda Satisfactio.

138. De tali Secretorum reuelatione, cum mihi Actio iudicaria, à Societate intentanda, promittatur: in hoc caſu, paratam ſententiam adduco, quæ ſcripta eſt in Euangelio, his verbis: *Judicium autem hoc eſt: Quia lux venit in mundum: & homines magis dilexerunt tenebras, quàm lucem, erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, ne arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.* Joan. cap. 3.

Et in

Et in alio loco Veritas dicit: *Sint lucernæ ardentes in* 139.
manibus vestris. Quod S. Gregorius Papa ita interpretatur: *Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera, proximis nostris lucis exempla monstramus.* De quibus profecto operibus Dominus dicit: *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Gregor. Homil. 13. in Euangelia.

Et sic Euangelium requirit in operibus humanis, non 140.
tenebras, sed lucem manifestam. Quod quia hisce meis scriptis, ego Societati modernæ deduxi authenticis documentis, contra illius minas, & indignationes, Euangelica lectio erit mihi salus & protectio.

Tertia Satisfactio.

Arguebatur S. Ignatius à nonnullis, quod talem Soci- 141.
etatem fundauerit, qualis nunc displicet multis; partim quia hæreditates Patriciorum ad se trahit; partim quia in negotijs status se immiscet; partim quia lites continuas de alienis bonis, quorum non est capax, fouet, & exercet. Ideo S. Ignatium ab hac mala reputatione vindicare oportuit, demonstrando, qualem ille Societatem fundauerit, & qualis nunc reperiatur.

Quarta Satisfactio.

Quia sæpius auditum est, exprobrasse Socios alijs Re- 142.
ligiosis familijs, quod fere omnes à suis primitiuis Regulis

defecerint, sola Societas in puritate sui primi Instituti hucusq; permanserit. Quæ audax præsumptio refellitur verbis S. Euangelij: *Amici in oculis fratrum vestrorum festucam vidistis, in oculis autem vestris trabem non consideratis.*
143. Alij enim Religiosi imbecillitatem suam confessi, circa rigorem suæ primæ Regulæ, moderationem à Summis Pontificibus obtinuerunt. Societas verò omnia priuata authoritate reformauit, & immutauit. Et quòd peius est, artes aliorum in hoc negotio conficiendo, ipsi S. Ignatio imputauit.

Quinta Satisfactio.

144. Multæ Prouinciæ Vltramontanæ Societatis, postquam vidissent duplex Exemplar Constitutionum sibi inuicem contradicentium, scire desiderabant Veritatem Constitutionum S. Ignatij, quæ Authographo Hispanico, quasi manu eius conscripto, deceptæ sunt; assecuratæ primas Constitutiones ab illo Autographo Hispanico penitus discrepare, posteriores verò, in omnibus punctis, de verbo ad verbum conuenire.

145. Hæ sunt satisfactiones, omissis alijs pluribus, datæ Societati Polonæ, quibus si non erit contenta, audiat Conclusionem S. Gregorij Papæ, qui ita loquitur: *Si autem satisfieri sibi ex Veritate noluerint, habes consolationem, quam in Sancto Euangelio conspicias: Cum enim Domino dictum fuisset, (scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalisati sunt) respondit, Sinite illos, quia cæci sunt, & duces cæcorum.* c. Inter verba laudantium & vituperantium. c. 11. q. 3. c. 55.

An So-

An Societas de Scriptis Canonici poſſit lamentari, & operari, vt gladio ſpirituali feriatur?

Turpe eſt, apud homines bellicoſos, prouocanti ad 146.
Certamen, inde ſuſceptum vulnus, & remanentem in facie cicatricem deplorare, & pro vindicta ad Judicem ſibi fauorabilem appellare. Verba prouocantis Societatis ad certamen, cum publica proteſtatione, hæc ſunt:

Innocentia diem ſibi dici, adeo non reformidat, vt petat; 147.
eaq; bonus veluti gladius, dum pugnat, tum clariùs micat. Non id voti nobis eſt, vt aduerſantium criminationes ſpretæ exoleſcant, audiantur potiùs, legantur, expendantur, & conferantur cum vindicationibus noſtris: Nullam hinc Societati veremur famæ iacturam, niſi apud Homunciones neſcio quos, quibus pro eodem ſit, non eſſe immunem ab accuſatione, atq; à culpa: cum tamen quicunque ſapiunt, & quorum duntaxat æſtimatio & in pretio eſſe debet, & rationibus venalis ſit, probè norint, Homines ceu marinas aquas, non aliter nullo flatu percelli, quam ſi non emineant, vnumque atque idem eſſe, in tranquillo, atq; in profundo manere. Vindicat. Soc. cap. 2. fol. 8.

Aduerſariorum verò ſuorum, eædem Vindicationes 148.
talem faciunt delectum: *Duæ nobis ſunt obtrectatorum Claſſes: Prima eſt illa, quæ ſingularia quædam crimina, certis noſtrorum perſonis, deſignatisq; temporibus, ac locis, improperat: Et hos refellere non curamus. Alij ſunt, qui Regulas; Inſtituta; & Conſuetudines noſtras vniuersè impugnant*

gnant, contra quos doctissimus Palauicinus, egregius propugnator Societatis, ita se præparat, & declarat, quod postposito omni odio, mansuetè velit pugnare, idq; protestatur his verbis, quæ sequuntur:

149. *Hanc ego alteram accusatorum cohortem repellere aggredior: sed ita repellere, vt celebre illud inculpatæ defensionis moderamen, à iure præscriptum, quàm religiosissimè seruem. Statutum mihi est, nos tutari, neminem carpere, ne dissimulanter quidem: ad summum Clypeo licet depugnare, non gladio. Hanc enim lenitatem & Christianæ charitatis doctrina mihi suadet, & scilicet magnanimum quoddam vindica-*
150. *tionis consilium, à timore ac sordibus remotissimum. Fateor enim, puderet me Ordinis, in quo versor, & quem grandæuus iam & diu meditatus elegi, si is ille sit, qui illaudatum se metuat, nisi alij sint illaudabiles; siq; innocentiam suam comprobare se non speret, nisi nocentes fecerit accusatores.* Vindicat. Soc. c. 2. fol. 6. & 7.

151. Hæc generosæ mentis publica contestatio an pudore non afficiciat Polonam Societatem, quæ abiecto Clypeo, ex arena decedens, Magnatum, & Prælatorum, sui amantium, opem, & auxilium implorat, vt nulla mecum lite contestatâ, probatione alicuius delicti non præmissâ, contra me non citatum, non confessum, non conuictum, gladium spiritualem exercere, & fulmine Excommunicationis me ferire possit, hoc supplicat, sollicitat, & laborat. Sed apud prudentes Judices, qui sciunt, sine legitimo Juris ordine hæc fieri non posse, talis importuna instantia locum non habet.

152. Non ita Palauicinus publico nomine totius Societatis, Romæ pro suis Generalibus Comitijs congregatæ, pro-

misit

misit, & typis impressit, quod iterum imponendo finem suis Vindicationibus ita commemorat: *Multa silentio transimus, ne nostra hæc Societatis tutio, hostili unquam vulnere fœdaretur, quamobrem non ea visum est deligere arma, quæ ad victoriam prævalida, nisi eadem ad prælium incruenta.* Vindicat. Soc. c. vltimo. fol. vltimo.

Quod verbis asseruerunt Vindicationes Societatis, re 153.
ipsa præstiterunt, quia ita videmus compositas, vt contra Julium Scotum gladium spiritualem vibrari, aut Excommunicationem fulminari, nec optauerint, nec postulauerint.

Hoc Romanum vniuersæ Societatis mansuetum Ex- 154.
emplum, opus est vt Polona Societas imitetur, & se ad veritatem Bonæ Vitæ reduci non lachrymetur, sed lætetur. Ad cujus amorem & desiderium vt efficaciùs promoueri, & sibi persuaderi patiatur, repeto verba S. Ignatij: *Cum* 155.
autem experti fuerimus iucundiorem, puriorem, & ad proximi ædificationem aptiorem esse vitam ab omni avaritiæ contagione quàm remotissimam, & Euangelicæ paupertati quàm simillimam; cumq; sciamus Dominum nostrum Jesvm Christum, seruis suis Regnum Dei solum inquirentibus, necessaria ad victum & vestitum esse subministraturum, voueant singuli & vniuersi, perpetuam paupertatem: Declarantes, *quod* 156.
non solum priuatim, sed neq; etiam communiter possint, pro Societatis sustentatione, aut vsu, ad bona aliqua stabilia, aut ad prouentus, seu introitus aliquos, Jus aliquod Ciuile acquirere; sed sint contenti, vsum tantum rerum, ad necessaria sibi comparanda, recipere. Ita loquitur Institutum primum §. 10. quod continetur in Bulla Pauli Papæ iij. inci-

 piente,

piente, Regimini. Cuius Instituti Societas quotannis festum celebrat quinto Calend. Septembris.

An Canonicus hæc scribendo charitatem non vulnerauerit?

157. Vetus dictum est, *meliora esse vulnera vera dicentis inimici, quàm oscula blandientis amici.* Hæc meliora Societas moderna non admittit; laudes appetit; & non vulnera, sed oscula sibi deberi, existimat, præcepto dilectionis, & charitatis erga proximum, meritisque suis præsumptuosa.

158. Hanc opinionem S. Augustinus ita refellit: *Ne putes tunc te amare proximum tuum, quando eum non corripis. Non est ista charitas, sed languor: Ferueat charitas ad corrigendum, ad emendandum. Si sunt boni mores, delectent: si sunt mali, emendentur.* 23. q. 5. c. 36.

Eodem sensu loquitur S. Gregorius in suis morali-
159. bus: *Sanctus vir, sicut mala de bonis non æstimat; ita iudicare bene de malis recusat, dicens: Absit à me, vt iustos vos iudicem; donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* c. sunt nonnulli, distin. 40.

160. Quod sit officium huius innocentiæ, S. Augustinus ita declarat: *Sicut non est beneficientiæ, adiuuando efficere, vt bonum, quod maius est, omittatur; ita non est innocentiæ,*
161. *parcendo sinere, vt in malum grauius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non solùm nemini malum inferre, sed etiam à peccato cohibere. Qui enim vitijs nutriendis parcit & fauet, ne contristet peccantium voluntatem, tam non est mi-*

est misericors, quàm qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem, & non timet, ne vulneratum doleat, vel extinctum. 23.q.5.c.37.& 38.

Hæc dicta Ecclesiæ doctorum applicando ad meam scripturam, aliquid amplius, quàm scripserim, mihi licuisse, prudens Lector animaduertet; iuxta illud Apostoli: *Argue; obsecra; increpa.* Et mandatum expressum Anacleti Papæ: *Tam sacerdotes, quàm reliqui fideles, omnes summam curam habere debent, de his, qui pereunt, quatenus eorum redargutione, aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separentur.* 24. quæst. 3. cap. 14. 162. 163.

Cum verò didicerim, modernam Societatem non esse peccaminosam, vt supra n. 88. non ausus sum aliquid arguere, aut corrigere. Quid Instituta, Constitutiones, Decreta, & Historiæ Societatis pro veritate bonæ vitæ loquantur, quod fideliter excerpserim, & allegauerim, non credo, me ideo aliquid contra charitatem proximi exorbitasse. 164.

Objiciet aliquis, fecisti tanquam inimicus, ad vindictam; odio flagras, & amorem profiteris. Ad hæc respondet pro me S. Augustinus: *Ea vindicta, quæ valet ad correctionem, non prohibetur. Ex quo satis apparet, posse peccatum amore potius vindicari, quàm impunitum relinqui; vt illum, in quem vindicat, non pœna miserum, sed correctione beatum esse velit: paratus tamen, si opus sit, æquo animo plura tolerare ab eo illata, quem vult esse correctum, siue in eum habeat potestatem coercendi, siue non habeat.* 23. q. 4. c. Ea vindicta. Et sic Canonicus, ita faciens, à dilectione Societatis excludi non potest. 165.

An Ca-

An Canonicus terreri possit fulmine Excommunicationis, quod modernæ Societati veritatem bonæ vitæ demonstrauerit.

166. Inter opera charitatis censetur illud factum, quando aliquis videns peregrinum, per campos, & syluas errantem, viam illi demonstrat, per quam ad locum sibi destinatum peruenire possit. Maioris meriti credo esse; cum aliquis optimè perspexerit, homines à via spirituali, id est, religiosa, & vel maximè Societatis Jesv, aberrantes, velit illis veritatem bonæ vitæ, seu vitæ iuxta præscriptum S. Ignatij, ad oculum demonstrare,

167. Quo facto, vt ideo gladius spiritualis ceruicem Scriptoris ferire debeat, hoc apud me est Paradoxum, euacuans in me, omnem à philosophia scholastica subordinatum timorem.

168. Præsto mihi sunt, & ictui Philosophico clypeum opponunt Sacri Canones. Inprimis Concilium Meldense ita statuit: *Nemo Episcoporum quemlibet, sine certa, & manifestata peccati causa, communione priuet Ecclesiastica. Sub Anathemate autem nullum præsumat ponere, nisi vnde Canonica docet Authoritas.* 11. q. 3. c. 41.

169. Idem Concilium Aruernense ordinauit: *Nullus Sacerdotum quenquam rectæ fidei hominem, pro paruis, & leuibus causis, à communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres, arceri ab Ecclesiæ iusserunt committentes.* 11. q. 3. cap. 42. Et in his statutis, omnia recen-

recentiora Concilia conueniunt, quæ cum mihi non sint ad manum, ideo non allegantur.

His pro fundamento positis; doceri volo primo: 170.
quæ culpa sit, demonstrare veritatem bonæ vitæ, ex legitimis, & authenticis documentis excerptam? Si culpa aliqua esset, vtiq; Jus Canonicum non præscripsisset Regulam: *Quòd vtiliùs scandalum nasci permittatur, quàm vt veritas relinquatur.* Quod vel maximè procedere in veritate bonæ vitæ, docet glossa. V. Veritas. De Regul. Jur. cap. 3. & eadem glossa c. Nisi. V. Distinguendum. De Renunciat.

Secundo doceri volo; quod crimen esse possit, di- 171.
stinguere Societatem in tres classes, iuxta triplices eiusdem Constitutiones, vt scire possimus, cuinam laudes, cuinam vituperia conueniant à Vindicationibus Societatis, c. 1. fol. 1. commemorata.

Si culpa est, ita distinguere Societatem; quare D. Hi- 172.
eronymus ipsum genus humanum in triplicem statum diuisit? Distinct. 35. cap. 2. quare Philosophia, Theologia, & ipsum Jus Canonicum distinctionibus vtuntur? Nempe vt res, de qua controuersia oritur, aut disputatio agitatur, faciliùs intelligatur, & ad concordiam differentiæ disponatur, & accommodetur.

Ratio ergo dictat, nullum esse crimen, tam in de- 173.
monstratione veritatis bonæ vitæ; quam in distinctione Societatis in tres partes; Consequens est, vt hæc scribens, nulla possit affici Censura, Quod ipsi Poetæ Ethnici ita sentiunt;

Integer vitæ, scelerisq; purus,
Non eget Mauri iaculis, neq; arcu.
Nec venenatis grauida sagittis
Fusce faretra.

174. Quo non obstante, Prælatus aliquis, in gratiam Societatis, cuius beneuolentia multum illi ad omnes suas intentiones prodesse possit, fulminabit Excommunicatione in scriptorem innocentem, vt illi terrorem incutiat, & eum compellat ad aliquam inconuenientem satisfactionem, vigore illius decantatæ apud Casistas opinionis: *Excommunicatio, siue iusta, siue iniusta, timenda est.*

175. Hanc opinionem Jus Canonicum ita distinguit: *Justa excommunicatio timenda est promerenti: Iniusta timenda est proferenti.* Quod iniusta Excommunicatio sit timenda proferenti, declarat Jus Canonicum his verbis: *Non in perpetuum damnamur, cum iniustè iudicamur: dicente Psalmo; (Nec damnabit illum, cum iudicabitur illi.) Multi Sacerdotum, culpam zelo Dei se prosequi profitentur: sed dum indiscretè hoc agunt, Sacrilegij facinus incurrunt: & dum præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoq; multò deteriùs cadunt.* 24. q. 3. c. 5. & 11. q. 3. c. Temerarium, quod est in ordine. 49.

176. Quod verò iniusta Excommunicatio non sit timenda non promerenti, Melchiades Papa ita declarat: *Cui illata est sententia, deponat errorem, & vacua est; sed si iniusta est, tantò eam curare non debet, quantò apud Deum, & Ecclesiam eius, neminem potest iniqua grauare sententia.*

tia. Ita ergo ab ea se absolui non desideret, quá se nullatenus perspicit obligatum. 11. q. 3. c. 46.

Concludo meum discursum, verbis S. Pauli: *Data* 177.
est nobis potestas; sed in ædificationem, non in destructionem. Non enim possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate. Et sic sublata nube malè vsurpatæ potestatis, non video, vnde fulmen Excommunicationis nasci, & vibrari possit, contra demonstratam veritatem. Quam ipsi Ethnici Romani, cum non possent omnibus tormentis, etiam in sexu fragili, superare, eam inuincibilem esse, agnouerunt.

Si quid ampliùs ingenium humanum apud superio- 178.
res Ecclesiasticos contra scriptorem veritatis bonæ vitæ disputare, aut clandestinè moliri voluerint, sciant pro eo legem Canonicam militare, quæ incipit, *Nolite timere.* 11. quæst. 3. cap. 68.

Doctrina S. Gregorij Papæ pro euitanda Excommunicatione.

Quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere, 179.
non debet formidare; oportet vt publicè exeat, & quæcunque in contestatione sua loqui præsumpsit, ostendat. Si enim in eadem Ciuitate, egressus ad publicum, potuerit docere, quæ dixit, vel certè sciens se non posse, quæ scripsit, ostendere, errorem suum fuerit aperte confessus, Dominici corporis ac sanguinis participatione non sit priuatus, neq; à corpore S. Ecclesiæ alienus existat. 5. q. 1. c. 2.

Huic

180. Huic Constitutioni S. Gregorij ego satisfacio. Quicquid pro Veritate Bonæ Vitæ in hoc libello scripsi, si allegationibus fideliter indicatis fides non dabitur, in ipsis fontibus ostendere volo; & si quem errorem commisi, publicè illum confiteri sum paratus. In quorum fidem me subscribo, Varmiæ in Visitatione Capitulari existens, primis diebus Julij, Anno 1679.

Joannes Markiewicz, J V.D.
Cracouiensis, Varmiensis Canonicus,
Præpositus Tarnouiensis.




S. Berman
UNION CITY • NEW JERSEY